

De Pamphilo ab Aristophane memorato.  
Adiiciuntur quaedam de aliis eiusdem  
nominis viris.

---

Aristophan. Plut. v. 382 sqq. :

Ὅρω τινα ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδόμενον,  
Ἰκετηρίαν ἔχοντι., μετὰ τῶν παιδίων  
Καὶ τῆς γυναικὸς· κοῦ διοίσοντ' ἄντικρυς  
Τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὄτιοῦν τῶν Παμφίλου.

Homo quidam supplex, qui Chremylus intelligendus est, cum femina et liberis in tribunali sedens et oleae ramos manibus tenens cf. v. c. Aesch. Eumen. v. 42 sqq. comparari apparet cum Heraclidis. Qui Eurystheo persequente Athenas supplices profecti ibique recepti esse memorantur, cuius rei magnam gloriam etiam posteriori aetate Athenienses sibi acquirebant cf. Isocr. Panegy. c. 15. Lys. λόγ. ἐπιτάφ. ed. Reisk. p. 69. Demosth. de coron. ed. Wunderl. p. 85. Quod autem comicus poëta cum Pamphili Heraclidis contulit, quo fuit in eiusmodi rebus more, sine dubio cogitandus est aequalium alicui irrisisse, qui Heraclidas ab Atheniensibus auxilium petentes et in Misericordiae ora preces facientes aliqua ratione repraesentasset. Iam quaeritur, num Pamphilus ille Heraclidarum supplicationem tragoedia, an pictura, an vel alia quoque ratione descriperit. Qua de re iam in scholiis diversae sententiae exhibentur. Aliud scholion: Τῶν Παμφίλου] Ὁ Πάμφιλος οὗτος γραφεὺς ἦν· ἔγραψε (in Hemsterhusii editione nescio an vitio typographico ἔγραφε) δὲ

τοὺς Ἡρακλείδας ἰκετεύοντας μετὰ κλάδων ἐλαῖνων, ὅτε ἐκ Πελοποννήσου ἀπηλάθθησαν. Aliud: τῶν Παμφίλου] Πάμφιλος ζωγράφος ἦν, ὅστις τοὺς Ἡρακλείδας ἔγραψεν ἰκετεύοντας τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον· μετὰ γὰρ θάνατον Ἡρακλέους Εὐρυσθεὺς διώκει τοὺς Ἡρακλείδας διὰ τὸ πρὸς τὸν Ἡρακλέα τὸν ἐκείνων πατέρα ἔμφυτον (ita ex Hemsterhusii coniectura pro vulgato ἐμφύλιον) μῦθος. Aliud scholion (ita enim, quamquam ἄλλως non propositum est, nonnullis rationibus ductus statuo): Ταύτην τὴν ἱστορίαν ἔγραψε Πάμφιλος τραγικός· κατὰ δέ τινος ζωγράφου ἦν, ὃς τὴν τῶν Ἡρακλείδων τύχην χαρακτηριῖ ὑφηγήσατο. Καλλίστρατος δὲ καὶ Εὐφρόνιος τραγωδιῶν ποιητὴν φασὶ καὶ διδάξαι Ἡρακλείδας. Τὰ δὲ λίαν ἐπιτετηδευμένα ὑπομνήματα διατάζει, πότερον τραγικὸς ποιητὴς ἢ ζωγράφος, ὃν κατηγήσασθαι φασὶ Ἀπελλοῦ. περικλυτὸς δὲ ζωγράφος ὁ Ἀπελλῆς. ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις πρὸ τούτων τῶν χρόνων Πάμφιλος οὐδεὶς φέρεται τραγικός. Γραφὴ μέντοι ἐστὶν οἱ Ἡρακλείδαι καὶ Ἀλκμήνη καὶ Ἡρακλέους θυγάτηρ Ἀθηναίους ἰκετεύοντες, Εὐρυσθέα δὲ δεδιότες, ἥτις Παμφίλου οὐκ ἔστιν, ὡς φασιν, ἀλλ' Ἀπολλοδώρου. Ὁ δὲ Πάμφιλος, ὡς ἔοικε, καὶ νεώτερος ἦν Ἀριστοφάνους. Aliud scholion: Οὗτος τραγωδοποιός· ἔγραψε δὲ τοὺς Ἡρακλείδας ἰκετηρίαν ἔχοντας, ὅταν Εὐρυσθεὺς μετὰ θάνατον Ἡρακλέους τοὺς Ἡρακλείδας ἐδίωξε· καὶ οὗτοι μετὰ τῆς Ἀλκμήνης παρεκάλεσαν τοὺς Ἀθηναίους βοηθῆσαι αὐτοῖς, ὅπερ καὶ ἐγένετο. Τὰ οὖν συμβάντα αὐτοῖς ζωγράφος τις Πάμφιλος Ἀθηναῖος εἰς τὴν στοᾶν τὴν Ἀθηναίων ἔγραψε καὶ αὐτοὺς ἰκετεύοντας. Τοῦτο οὖν λέγει, ὅτι οἱ καταδικαζόμενοι μετὰ τῶν παιδῶν καὶ τῶν γυναικῶν παρακολουθουσῶν λόγον ὑπεῖχον τῷ ἐγκλήματι (Hemsterhusii emendationem τῶν ἐγκλημάτων minime necessariam iudico). Ultimum scholion: Ὁ Πάμφιλος οὗτος εἷς ἦν τῶν Ἡρακλείδων, υἱὸς μὲν Αἰγίμοῦ, ἀδελφὸς δὲ Δυμάου καὶ Δώρου, ἀφ' ὧν φυλαὶ ἐν Λακεδαιμόνι Παμφιλεῖς καὶ Δυμενεῖς καὶ Δωρεῖς, ἀφ' ἧς οἱ Δωριεῖς, οἵτινες οἰκοῦντες πρότερον τὴν

*Πίνδον μίαν οὔσαν τῆς τετραπόλεως τῆς ἐν Εὐβοίᾳ, ἀφικνοῦνται εἰς τὴν μεταξὺ Οὔτης καὶ Παρνασσῶ Δωρίδα ἐξάπολιν οὔσαν. Ἔστι δὲ Ἐρινεόν, Κύντινον, Βοιόν, Αἰλαίον, Κάρφαια, Δρυόπη· ἐκ δὲ τούτων σὺν τοῖς Ἡρακλειδαῖς ἀναχωροῦσιν ὁμοῦ ἐκ τῆς Ἀττικῆς εἰς Λακεδαιμόνα, ὡς Πίνδαρός φησι· θέλοντι δὲ Παμφίλου.*

Primo scholio Pamphilus pictor exstitisse et Heraclidas ex Peloponneso eiectos et Athenis supplicantes pinxisse memoratus est, non tamen eius artificis patria vel aetate indicata. Altero deinde scholio idem quod primo de Pamphilo pictore traditum est. Tertio Pamphilus tragicus poeta eam de Heraclidis historiam conscripsisse refertur. Nam valde dubium est, num scholiastes, quamquam apud eiusmodi scriptorem multa perperam dicta statui facile queunt, verbis *ταύτην τὴν ἱστορίαν ἔγραψε* tragoediam Pamphili significaverit, eam potissimum ob causam, quod paulo infra de Callistrati et Euphronii sententia accuratis verbis monetur, ex qua Pamphilus tragoediarum poeta fuisset et Heraclidas fabulam docuisset. Sequentibus quoque verbis ipse scholiastes, ut mihi quidem videtur, et de pictore et de tragico Pamphilo dubitat eum in modum, ut Aristophanes eius rationem habere potuerit. Dicit enim ante Aristophanis tempora (sic interpretor *πρὸ τούτων τῶν χρόνων*, ita tamen, ut Pluti quoque fabulae singularis ratio habeatur) Pamphilum tragicum in didascaliiis non commemorari, sed etiam Pamphilum pictorem, etiamsi tabula picta Heraclidas supplicantes exhibens re vera exstaret, Aristophane posteriorem fuisse videri (*ὡς ἔοικε*). Nam eam tabulam pictam non Pamphili esse, ut vulgo statureretur (*ὡς φασιν*), sed Apollodori. Quae quum ita sint, nihil aliud nobis relinquitur, quam ut aut scholiasten eum de historia Pamphili ab eo, antequam ad tragoediam accederet, conscripta cogitasse aut veram eius sententiam quinto scholio proferri aut eum omnino nullum, quod certum esset, iudicium de Pamphilo Aristophaneo habuisse statuamus. Illud

de quinto scholio cum tertio coniungendo si probabile fuerit et si praeterea scholiasten eum sententias non satis accurato ordine composuisse coniecerimus, ita fortasse haud male ageretur, ut quintum scholion ante tertium collocaretur. Scholiastae deinde sententia hacce foret: „Aristophanes nostro loco Pamphilum Heraclidarum unum, Dymantis et Dori fratrem, significat, quorum a nominibus tribus Lacedaemoniae appellatae sunt. Doriensium et Heraclidarum historiam Pamphilus tragicus enarravit, ex aliorum autem opinione qui conscripsit pictor exstitit, idem qui Heraclidarum infortunium tabula exposuit. Callistratus autem et Euphronius Pamphilum tragicum poëtam fuisse et Heraclidas fabulam docuisse dicunt. Sed commentarii qui nimis elaborati sunt dubitant utrum hoc loco significetur tragicus an pictor, qui praeceptor fuerit Apellis. De neutro autem cogitandum est et intelligendus Pamphilus Heraclides: in didascalii enim ante Aristophanea tempora nullus exhibetur tragicus eo nomine, picta autem tabula, qua Heraclidarum supplicatio descripta est, Apollodori, non Pamphili est, qui Aristophane posterior fuisse videtur.“ Quarto scholio, quod quam negligentissime conscriptum est, patria Pamphili Athenae indicantur. In ultimo denique scholio, quod parum refert utrum per se consideremus an eo modo, quo supra conieci, cum tertio coniungamus, quae ad accuratiorem historiae et rerum cognitionem pertinent, eorum plurima a viris doctissimis pertractata sunt cf. Marx ad Ephor. fragm. p. 97. Boekh ephemer. Heidelb. 1818. p. 307. explic. Pind. p. 234. ad Corp. inscript. p. 579. 609. Mueller. Dor. I, 29. II, 75. Orchom. p. 314. Wachsmuth Hell. Alterth, II, 1, p. 15. Hoeck Creta I, p. 17 sqq., ita ut sufficere nobis videamur paucissimis ea de re monitis. Primum Heraclidae Pamphyli nominari minus bene apparent, quod de Doriensibus magis quadravisset. Deinde Pamphylus Doriensis nomen habet ab eo, quod nostro versu in libris manuscriptis exhibitum est, diversum, quum illud

per *v*, hoc per *ι* ubique proferatur atque Πάμφυλος vox, id quod ex etymologia eius satis patet, mediam syllabam, semper producat. Nulla porro, quae satis apta dici queat causa investigari potest, qua motus Aristophanes eius Pamphyli mentionem fecisset, quod longe aliud est, si de aequali seu tragoedo seu pictore seu historico denique cogitamus. Postremo ei sententiae nullus locus concedendus esse videtur, ex qua Aristophanes simul de Heraclide et de aequali viro statuisset, non solum quod diversa ea nomina sunt, sed quod eiusmodi ratio plus artificii, quam elegantiae habere apparet. Id denique Hemsterhusius rectissime iudicavit, quod quicumque ultimum scholion conscripsit interpretatione veteri ad Pindari Pyth. I, v. 62 falsissime usus est ad nostrum locum explicandum. Praeter ea enim, quae iam supra monita sunt, perperam habent quae de tertia Lacedaemoniorum tribu Doribus', de tetrapoli in Euboea, de Carphaea et de Heraclidis ex Attica in Laconicam profectis disputata sunt, quamquam nonnulla eorum doctissimus Hemsterhusius felicissime expedit.

Pamphilus tragicus exstitisse tribus scholiorum notitiis efficitur: Πάμφιλος τραγικός — τὰ δὲ λίαν ἐπιτετηδευμένα ὑπομνήματα διατάζει, πότερον τραγικός ποιητῆς κ. τ. λ. — πρὸ τούτων τῶν χρόνων οὐδεὶς φέρεται τραγικός — et in quarto scholio: οὗτος τραγωδοποιός. Pamphilum Heraclidas fabulam docuisse Callistratus et Euphronius retulerunt, quorum alter idem fortasse exstitit, cuius et Philonidis nomine Aristophanes primas suas fabulas docuisse traditus est, histrio illius temporis celeberrimus. Quod si pro certo effici posset, non dubitandum esset, quin Pamphili aetas congrueret cum Aristophanea. Illud autem idem scholii quarti verbis ἔγραψε δὲ τοῦς Ἡρακλείδης κ. τ. λ. significatur: verba enim tertii scholii ταύτην τὴν ἱστορίαν ἔγραψε Π. τρ. an eo modo intelligenda sint, dubium relinquitur. Accedit Suidae testimonium v. διοίσειν, quamquam id ipsum ex scholiis Aristopha-

neis repetitum esse videtur. Satis igitur certum esset, Aristophanem, quum eum versum de Pamphili Heraclidis conscriberet, de tragici poëtae opere cogitasse, nisi unus scholiastes moneret, ante haec tempora in didascaliiis tragicum poëtam nullum inveniri. In quibus si quaerimus, quaenam haec tempora significantur, simplicissimum est ea intelligi, quae ad Aristophanis aetatem vel ad id temporum spatium pertinent, quo Plutus fabula conscripta est. Sed accidere potuit, ut scholiastes quum illa scriberet de priori tantum fabulae recensione cogitaret, quamquam, si noster locus in altera demum Pluti editione adiectus fuerit, intra viginti, qui interpositi sunt, annos Pamphili fabula Heraclidae confecta esse et iam in vulgus innotuisse potuit. Si autem scholiastae verbis *πρὸ τούτων τῶν χρόνων* in universum aetatem Aristophanis intelligendam et Callistrati atque Euphronii, utpote posterioris temporis scriptorum, auctoritatem non ita tanti faciendam esse existimamus: necesse est statuamus Pamphilum tragicum a scholiastis hunc locum commentantibus ad priorem aetatem promotum aut omnino fictum fuisse. Ceterum Heraclidarum historia a tragico genere haud aliena exstitit: eo enim nomine Aeschylus, Chaerephon et Euripides fabulas docuerunt, cuius postremo loco nominati etiam nunc Heraclidae tragoedia superest. Coniicere adeo possemus Aristophanem Euripidi irridere, nomine eius non allato, sed *Πάμφιλος*, omnibus carus, eo appellato, id quod ironice intelligendum esse in aperto est. De tragico autem poëta ab Aristophane significato eam ob causam cogitare malo, quam de pictore vel alio artifice, quod comicus poëta poëtis tragicis et comicis saepissime irridet, pictores autem et artifices rarissime tantum satira perstringit cf. Arist. Acharn. v. 395 sqq. Equit. v. 400 sq. Nub. 1365 sqq. Thesmophor. per totam fere fabulam, Ran. v. 850 sqq. Lysistrat. v. 682. Acharn. 990. Quod praeterea viri docti statuunt, ad totius loci conexum magis quadrare Heraclidas tabula picta exhibitos,

considerandum magnopere est, quantopere in re tragica omnia ad vivam et plasticam actionem magis pertinuerint, quam ad ipsam conscribendi artem, ita ut ob eam multo minus, quam ob chori exercitationem et fabulae actionem poëtae laudari solerent cf. A. G. Schlegel praelectt. de arte dramatica T. I, p. 125 sqq. O. Müller Aeschyl. Eumen. p. 71. Quae quum ita sint, nullum impedimentum esse credo, quominus de tragoedia seu Pamphili seu Euripidis cogitemus, quam eandem sententiam O. Mueller, quum aliquando proposuisset cf. Dor. T. I, p. 55 not., postea commutavit cf. Prolegg. in mythol. p. 400., sed, ut mihi quidem satis persuasum est, plane immerito. Nam si de celeberrimo pictore Pamphilo coniiiceretur, eius patria Amphipolis fuit, non Athenae, ut ab uno scholiaste ad nostrum locum annotatum est. Plurimum autem aetatis Sicyone egit, quo Apelles quoque eius audiendi causa se contulisse memoratus est. Quamquam suspicari possumus tabulam ab eo pictam ab Atheniensibus arcessitam fuisse, Heraclidarum tamen eo loco, quo opera eius recensentur, nulla mentio facta est. Heraclidarum vero tabulam, quae Athenis in stoa poecile collocata aliquantum celebritatis nacta esse videtur, a scholiaste Pamphilo abiudicari et Apollodoro vindicari supra vidimus. Amphipolitani praeterea aetas Pamphili ab Aristophanea, ut statim infra demonstrabimus, nimis remota est, ita ut, si pictor intelligi debeat, de Atheniensi quodam, aliunde non valde noto, nobis cogitandum sit.

Pamphilus Amphipolitanus, Plinio et Suida testibus cf. H. nat. l. XXXV, 10. v. Ἀπελλῆς, Eupompi discipulus et Apellis et Melanthii praeceptor in pictura fuit. Qua ex notitia quum Apelles, Silligio demonstrante cf. Catalog. artif. p. 60, Olympiade centesima septima floruisse eoque tempore trigesimum circiter aetatis annum egisse statuatur, idemque a duodevigesimo fere aetatis anno Pamphili discipulus fuisse coniiiciatur, Pamphili vita, si ante trigesimum quintum aetatis

annum non docuisse et quinquagesimum vel sexagesimum annum egressus esse videtur, inter Olympiadem XCIII et CVIII constituitur. Etiam si autem Pamphili aetatem magis removeamus, eumque iam annis magis profectum Apellem et Melanthium erudisse censeamus, opera tamen, quae utpote praestantissima a Plinio memorata sunt, ante Olympiadem CI vix confecta esse videntur. Pamphilus omnibus in literis optime eruditus et imprimis arithmetrices et geometricas peritissimus fuisse, easque pictori necessarias iudicasse memoratur. 1) Ad eruditionem Pamphili Quinctilianus quoque respicere videtur cf. Instit. orat. XII, 10, quo loco quae eius praedicatur *ratio* id significare apparet, quod Pamphilus literis ingenuis satis imbutus picturae rationes alios docuit vel etiam de pictura et de pictoribus egregiis Opus singulare conscripsit cf. Suid. v. Πάμφιλος — περὶ γραφικῆς καὶ ζωγράφων ἐνδόξων. Sicyone, deinde etiam in tota Graecia effecit, ut pueri ingenui graphice docerentur, eaque inter artes liberales referretur. 2) Quam autem Pamphilus Sicyone cf. Plutarch. vit. Arat. c. 13 3) condidit schola etiam posteriori tempore omnium maxime floruit. Encausta quoque pinxisse eamque artem Pausiam Sicyonium docuisse traditur cf. Plin. H. nat. XXXV, 11. 4) Operum eius praestantissima a Plinio cognatio, proelium ad Phliuntem ac victoria Atheniensium, item Ulysses in rate recensita sunt. Quae res cognatione tabula exposita fuerit, incertum est. 5) Loco Pliniano utrum

1) Meyer Gesch. d. bild. Künst. bei den Griechen. T. I. p. 105 sq.

2) Etiam Aristoteles *γραφικὴν* maxime commendat cf. Polit. VIII, 3.

3) Ultima eius loci verba ita comparata sunt, ut iis labefactari posse videantur quae de aetate Pamphili exposui, nisi testimonia locupletia adessent Apellem Pamphili discipulum exhibentia. Sunt enim haecce: ὥστε καὶ Ἀπελλῆν ἐκείνον ἤδη θανατωμένον ἀφικέσθαι καὶ συγγενέσθαι τοῖς ἀνδράσιν ἐπὶ ταλάντῳ τῆς δόξης μᾶλλον ἢ τῆς τέχνης δεόμενον μεταλαβεῖν.

4) Eo loco Silligius pro vulgata lectione *non pinxisse tantum* legendum esse *non pinxisse solum* docuit cf. Catal. artif. I. I. p. 326.

5) Mira est Dalecampii sententia: „τὴν γραφικὴν inuuit, sodalitatem, tribum, curiam ἀπὸ τῶν κοινῶν φράσαιον.“

proclium ad Phliuntem ac victoria Atheniensium arce inter se coniungenda sint, ut de una tantum tabula cogitandum sit, an duae picturae significantur, quaeri potest. Veri autem maximam habet speciem, proclium Phliasium quod inter Phliasios et eorum exsules ab Eleensibus et Arcadibus adiutos inter Olympiades CII atque CIV commissum fuit intelligi, quippe quod Xenophon 6) ita descriperit, quasi pictum ipse conspexisset vel tamen pingendo aptissimum censuisset. Deinde victoria Atheniensium ea intelligi optime videtur, quam Athenienses de Lacedaemoniis ad Sphacteriam reportaverunt, 7) cuiusque illustrandae causa aeneum signum in arce collocatum est. 8) Ulysses in rate is sine dubio intelligendus est, qui Calypso e Iovis imperio dimittente ratem fabricatus mari iterum se committit. 9) De Heraclidis denique, qui a Plinio non commemorati sunt, dubiam maxime rem esse 10) supra nonnullis rationibus demonstratum est.

6) Cf. Hellen. VII, c. 1, §. 5 — 9. Ἐπεὶ δὲ ἅπαξ ἤρξαντο ὑπέκειν, ταχὺ δὴ πᾶσα ἡ ἀκρόπολις ξηρημος τῶν πολεμίων ἐγεγένητο. Εὐθύς δὲ καὶ οἱ ἐππεῖς ἐξήλαυνον. Οἱ δὲ πολέμιοι ἰδόντες αὐτοὺς ἀπεχώρουν, καταλιπόντες τοὺς τε κλίμακας καὶ τοὺς νεκρούς, ἐνλίους δὲ καὶ ζῶντας ἀποκεχωλευμένους. Ἀπέθανον δὲ τῶν πολεμίων οὗτε ἐνδον μαχόμενοι καὶ οἱ ἐξω ἀλλόμενοι οὐκ ἐλάττους τῶν ὀρθοήκοντα. Ἐνθα δὲ θεάσασθαι παρῆν ἐπὶ τῆς σωτηρίας τοὺς μὲν ἀνδρας δεξιουμένους ἀλλήλους, τὰς δὲ γυναῖκας πιεῖν τε φερούσας καὶ ἄμα χαρῆ δακρυούσας· πάντας δὲ τοὺς παρόντας τότε γε τῷ ὄντι κλαυσίγελως εἶχεν. Sequentibus quoque annis inter Argivos et Phliasios proelia nonnulla commissa sunt, cf. Meyer l. I. T. II, p. 162 sq. Ea denique pugna, de qua Thucydides V, 115 verba facit, tempore longius distat.

7) *Harduinus victoria* in *historia* immutandum esse suspicatus est, *Silligius* de ea victoria, quam ad Naxum Chabrias Olymp. CI, 1. reportavit, maritima cogitavit, alii aliter ea de re iudicaverunt. Cf. Dalecamp. ad locum Plinii.

8) Pausan. l. IV, p. 147 ex Romuli Amasaei interpretatione.

9) Ulysses picturis saepissime adhibitus cf. Pausan. X, p. 343. *Iunii* de pictura veterum in indice.

10) *Böttiger Ideen zur Archäologie der Malerei* T. I, p. 278 sq.: „Daß es noch mehrere Malereien in der Pöcile gab, als die vier Hauptgemälde, die Pausanias erwähnt (cf. I, 15 1) das Gefecht der Spartaner und Athener bei Demoe, 2) die Amazonsenschlacht, 3) die Griechen als Eroberer Trojas, 4) die Schlacht bei Marathon), beweist man aus den Scholien zu Aristoph. *Plut.* v. 385, wo erzählt wird, Pam-

Alius Pamphilus ab Aristophane significatur in Pluto v. 173. τὸ δ' ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος τρέφει; Ὁ Πάμφιλος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον κλαύσεται; Ὁ βελενοπόλης δ' οὐχὶ μετὰ τοῦ Παμφίλου; Quem cum scholiaste et Suida demagogum illius temporis maxime notum et furto aliquo infamem intelligimus; quominus autem cum Palmerio cf. Exercitt. in auct. Gr. p. 786 sq. eum Atheniensium ducem, qui Olymp. XCVIII Aeginam obsidione tenuit cf. Xenoph. Hellen. V, c. 1., habeamus, iam temporum ratio nobis impedimento est.

Pamphili rhetoris et patria et actas satis incerta est. Ante Aristotelem vixisse vel ei aequalis existisse apparet, cf. Rhetor II, 23, quo loco cum Callippo euthymematum genere valde delectatus fuisse perhibetur. Rhetoricen, non tamen cum magna sua laude exercuit, 11) Idem fortasse fuit cum Platonico philosopho, Philopragmati nomine appellato Nicopolitano cf. Suid. T. III, p. 14., quem Epicurus in Samo

philus, ein athen. Maler, habe die bittenden Herakliden in der Pöcile gemalt, und aus dem alten Verfasser des Lebens des Sophokles p. X. ed. Brunck. Allein gegen beides läßt sich mancherlei Zweifel vorbringen. Die Herakliden des Pamphilus können auch eine Tragedie gewesen sein, wie ein anderer Scholiast zu jener Stelle des Arist. behauptet. Doch auf ein Gemälde zielt Aristophanes unstreitig (?), wie Bergler zu dieser Stelle richtig bemerkt hat. Nur kann es weder der berühmte Lehrer des Apelles gewesen sein: denn dieser war ja aus Amphipolis in Makedonien und um 80 Jahre älter, als der Plutus (?) des Aristophanes. Dann ist es auch bloß eine Scholiastensage, daß dieß Bild in der Pöcile zu sehen gewesen. Die Stelle des Aristophanes selbst hat kein Wort davon."

11) Cicer. de orat. III, 21. „Nam neque sine forensibus nervis satis vehemens et gravis nec sine varietate doctrinae satis politus et sapiens esse orator potest. Quare Coracem istum vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui volent clamatores odiosi ac molesti, Pamphilumque nescio quem sinamus in insulis tantam rem tanquam pueriles delicias aliquas depingere: nosque ipsi tam exigua hac disputatione hesterni et hodierni dici totum oratoris munus explicemus.“ Cf. etiam Quinctil. inst. orat. III, 6, quem ad locum Burmannus miram sententiam de Pamphilo Heraclidarum pectore a Ciceroe l. l. significato protulit, iam ab Hemsterhusio recte rejectam. Iunius quoque cf. Catal. art. p. 40 de pectore loco Ciceronis cogitavit, sed contrario modo ut Burmannus, de nequam et inepto artifice.

insula audiit cf. Cic. de nat. Deor. I, 26. Diog. Laërt. X, 14, Suid. v. Ἐπικουρ.

Pamphili sculptoris, cuius aetas a Silligio cf. Catal. artif. p. 313. circa Olympiadem CXII recte constituitur, discipuli Praxitelis, Iupiter hospitalis memoratur ab Asinio Pollione arcessitus cf. Plin. XXXVI, 5.

Pamphili sculptoris, patria et aetate incerta, gemma apud Braccium tab. 30 descripta est, referente Silligio.

Deinde historiae naturalis investigator atque grammaticus Pamphilus memoratur cf. Galeni opp. ed. Basil. 1538. T. II, cuius operum etiam nunc nonnulla fragmenta supersunt in Geoponicis Niclasii edita cf. II, 20. V, 23. VII, 20. X, 39. X, 86. XIII, 15. XIV, 14. XV, 1. Fuit autem Alexandrinus cf. Suid. T. III, p. 14 et discipulus Aristarchi. Scripsit *περὶ φυσικῶν, λειμῶνα* a Diogeniano in epitomen redactum cf. C. I. Ranke de lexicis Hesychiani vera origine et genuina forma comment. Quedlinb. 1831:8. (*ποικίλων περιοχῆν γλωσσῶν ἥτοι λέξεων* Suidas l. l. id opus appellavit vel eo modo eius titulum explicavit) libris nonaginta quinque conscriptum, cuius initium ab α usque ad δ litteram Zopyrion confecerat cf. Suid. l. l. Athen. IX, p. 387., Etymol. Magn. et Eustath. ad Odys. p. 1572. 41., *τέχνην γραμματικὴν, γεωργικὰ βιβλία γ', εἰς τὰ Νικάνδρου ἀνεξήγητα καὶ τὰ καλούμενα Ὀφακά; εἰκόνας κατὰ στοιχεῖον, τέχνην κριτικὴν* et alia grammatica. Pamphilum Siculum inter bibendum omnia versibus protulisse Athenaeus cf. Deipnosoph. I, c. 6. eumque secutus Suidas l. l. tradiderunt.

F u h r.